Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 6ta

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

2. dis. 41. n. 30. Non libre in dubijs positivis, sive opinib:
[illegible] opinione probabili, indubitate possit &c.

Sed frequentius ostendit Coninck contrarium: videl. et procedere in opinionib. probabilib., atque in dubijs negativis, ita ut judex v. g. & proportionali confessarius advertens utramque partem litigantis re aeque probabilem, possit, aut teneatur totam rem adjudicare possessori, si alterutra sit bonae fidei possessor, juxta tam regulam juris; si vero neuter sit possessor, teneatur judex inter partes aequaliter diffidere; cum utraque pars extra possessionem supponatur libre aequaliter jus [illegible]. Quaestio 6. utrum actus moralis, ut sit bonus, possit esse conformis conscientiae scrupulosae.

Quaestio 6ta

Utrum actus moralis, ut sit bonus possit esse conformis conscientiae scrupulosae.

Notandum conscientiam scrupulosam ita describi:
Est actus vitalis intellectus, pertinens ad primam operationem mentis, quo per simplicem apprehensionem aliquod instar peccati seu perpetrati, seu imminentis apprehenditur, & inde vehementer metus & anxietas miserabilis incutitur. Coninck d. 34. de [illegible] n. 81. Bideru. Theol. [illegible] &c.

Caeterum quamvis scrupulus seu conscientia scrupulosa non sit essentialiter anxietas aut formido, attamen ex his tamen signis, a posteriore deprehendi potest, magis inimo quando ex frivola causa quasi alteri [illegible] solent, ex inanibus circa bene & male agendo anxii, & perpetuo timidi haesitant. Sic [illegible] Franc. Arias.

Conclusio: Agere contra conscientiam scrupulosam, hoc est, facere id, de quo timet ne malum sit, conscientia scrupulosa formidat, non modo licet, sed et consilii est, et non rarum præcepti, ut scrupulosus contra operetur. Sanch. in moral. ca. 10 n. 8. et alii plures. Et ita contra sentiunt quidam Scholastici, qui Theologiæ mysticæ magistri.

Probatur pars 1ma: 1mo: Quia cum conscientia scrupulosa non sit judicium aliquod, aut dictamen rectæ rationis, sed mera apprehensio, adeoque non nisi æquivoce sit conscientia, non habet eam vim obligandi, quam potest veri nominis conscientia, adeoque contra eam agere non est peccatum.

2do: licitum est operari contra sententiam magis aut minus probabilem, ergo multo magis licebit agere contra conscientiam scrupulosam, quæ est inferioris dignitatis, quam sit conscientia probabilis.

2da pars probatur: Nam conscientia scrupulosa perturbat veram animi pacem, lætitiam spiritualem impedit, valetudinem corporis corrumpit, et mentem obtundit, plurima alia incommoda parit; imo quod gravissimum est, animum retrahit, quo minus dictamini prudentiæ, et rectæ bonæque conscientiæ conformet; dico est tum consilii, sed sæpe et præcepti est dignissimus scrupulosæ conscientiæ contradicere, et id non solum negative, hoc est, reiiciendo scrupulos et deponendo conscientiam scrupulosam, sed et positive, id nimirum contra illam et in oppositum agendum, quod maxime urgentem et vergentem ad sui dictatum operetur: utique non semper in nostra potestate est scrupulos expellere, cum præsertim cacodæmon illos in nobis maxime renitentibus commoveat.

Quæritur 1mo: Unde oriantur scrupuli?

Resp.: A doctoribus maxime septem afferri scrupulos.

1mo est naturalis complexio melancolica, tenacibus apprehensionibus, et fortitudine obstinata.

2do est puerilis educatio in timore severo; quando parvulis nimia

pecti horrido instillat, sine ullo discrimine mortalis & venialis, quae supra numerum exag-
gerando, unde consequitur haec mentis scrupulositas.

3tio ignorantia, et malus intellectus praeceptorum Dei vel Ecclesiae, sine ulla Epichea sine ullis limitationibus, et exceptionibus.

4to sunt studia sublimiora, praesertim Theologiae Scholasticae, ubi multae novae obligationes, et peccatorum species antea incognitae proponuntur, praesertim si ingenium naturaliter sit pro se ferens, rigidiores passim sectantem. Accedit nimis praetractandi nimis subtiliter et perplexe, quae in utramque partem disputans, et ad unguem examinans, unde deinde malae nascuntur: 1mo generat dubitationes & obiectiones. 2do contemptus opinionum probabilium, eo quod docentibus illi subtilitati assuetus, non acquiescat nisi in certis. Denique caput ipsum diuturnis speculationibus exhaustum incipit judicio deficere, unde deinde somno quiete, vel recreatione &c. reparandum est, ut fiat plerisque in studentibus Monach.

5to inedia & vacuitas stomachi, quae auget scrupulos, quia cerebrum spiritibus vitalibus destitutum, debilis est judicii; hinc quidam ante prandium sunt scrupulosi, non item post prandium.

6to est diabolus sophista, qui sub specie timoris Domini conscientiam ita coarctat, ut ad maniam, vel desperationem adigat, bona spiritualia impedita, & exosa reddat, ad divina obsequia ineptos faciat, talenta nobilia, quibus proximo et reipublicae prodesse possent, sepeliat.

7timo est Dei permissio, qui vel in poenam peccatorum etiam venialium, vel in humiliationem ejusmodi vexationes permittit, sicut tradens angelo satanae ad colaphizandum, ne magnitudine revelationum extollatur. 2da Corinth. 2do. v. 11.

Quaeritur 2do. Quaenam sint remedia contra inanem timorem peccati commissi?

R. facillime memini tradi a Vasq. disp. 64. c. 2. & Sa. tom. 1. lib. 2. c. 20. q. ult. desumptum ex aliis multis Doctoribus, nimirum ut scrupulosus non credat,

~~Judicabit~~ ergo se mortaliter peccasse, nisi certo et evidenter sciat, et quamvis materia fuerit gravis, non credat, se sufficientem deliberationem, aut consensum habuisse, nisi certo sciat: huius conclusionis sunt quinque optimae fundamenta.

Primum. quia mortalia peccata tentationes, et tam aperta malitia, ut hominem vigilantem et sibi attentum latere non possit, sicut ait Joa. Albertus de vita spirituali 3. p. tract. 1mo c. 12.

Secundum quia malitia mortalis consistit formaliter in mala voluntate, quo stante bona voluntate impossibile est peccari mortaliter. Quod autem scrupulosi habeant bonam voluntatem, arguit ipse timor peccati, et continua lucta cum tentationibus; quae praesumptio roborabitur, si saepius proponant Deum non offendere, nec unquam scienter et ex proposito etiam venialiter.

Tertium. Quia scrupulosis interdum videtur deesse sufficiens libertas ad peccandum mortaliter, propter nimiam turbationem intellectus: nam si ira et aliae passiones saepius impediunt deliberationem, cur non faciant anxietas, formido, praesertim melancholiae conjuncta, quae tam tenaciter inhaeret suis primis cogitationibus et apprehensionibus, ut non potiatur se divellere et ad alias converti, prout postulat perfecta deliberatio.

~~Quartum~~. Experientia docet, scrupulosos in gravissimis tentationibus nunquam scienter et deliberate in peccatum mortale consensisse, ergo credibile est, divinam bonitatem in obscuris tentationibus eos non deseruisse, quae in multo gravioribus et manifestis periculis tam praesens est.

Ex his ergo et aliis similibus fundamentis etiam gravium Theologorum auctoritate roboratis, homo timoratae conscientiae prudenter et rationabiliter judicat, se non consensisse in peccatum mortale, nisi certus sit.

Expedit autem non semper et statim instituere examen super praesenti scrupulo, si tempore turbatus intellectus non potest verum a falso discernere

in aliud tempus examinis consilii dilatetur, ubi serena & tranquilla mente melius judicabit. Si urgeat aliqua necessitas tranquillandi conscientiam propter administrationem alicuius Sacramenti, vel regrandi status gratiae, non omiserit examine, de sufficienti conditione vota contritio, si forte Deum offenderit.

Quaeritur 3tio. Quae sint remedia contra scrupulos futuri formidinem.

R. Ad dilatandam & laxandam conscientiam inserviunt sequentes considerationes.

1mo considerando divinam bonitatem, ut monet Sapiens Sapientiae 1mo [illegible]: Sentite de Domino in bonitate: cuius jugum suave & onus leve. Matthaei 11. Neque Deus imaginandus instar tyranni, qui sua severitate homines ad laqueum adigat, sed instar dulcissimi patris, cui summa delitia sunt filiis, et qui velit sibi homines servire in laetitia & hilaritate, non in tristitia & languore. Psal. 99. Servite Domino in laetitia.

2do. Similiter Ecclesia non est apprehendenda ut noverca, sed ut mater, quae suas leges infirmitati hominum accomodat, & plerumque non obligat cum magno damno & periculo; Item admittit excusationem, ut docent de legibus humanis: quia leges non obligant ultra mentem legislatoris; non enim est mens legislatoris obligare ad talem modum operandi adeo difficilem et anxium.

3tio. Acquiescendum est in probabili ratione vel auctoritate, quae sufficit ad recte agendum, etsi scrupulus reclamet, imo scrupulosis expedit de industria sectari laxiores, quamvis minus probabiles sententias, donec conscientia ad debitam moderationem revocetur. Nimia vero subtilitas in discutiendis angustiis & solvendis objectionibus auget scrupulos, & conscientiam magis intricat, dum frustra quaeritur certitudinem, quae in moralibus haberi non potest.

4to. inspiciendae sunt vitae aliorum prudentium ac bonorum, qui hilariter & confidenter Deo serviunt. Merito autem quis similiter honeste et licite potest facere quod tales sine scrupulo faciunt, ut ait Ludov. Granat. de orat. part 2. c. 3. Praesente quo metu peccandi, vide an probabili ratione, vel auctoritate, vel exemplo bonorum hominum possis excusari, & secure sequere, [illegible] paulatim conscientia laxabitur.

Quaeritur 4to. Quae sint remedia contra nimiam sollicitudinem recte confitendi?

R. scrupulosum debere certo sibi persuadere Christum Dominum nostrum Sacramentum poenitentiae non instituisse ad animarum carnificinam, sed pro solatio peccatorum proposita Trident. Sess. 14. c. 5. adeoque ad eius legitimum usum non exigi summam, et exactissimam diligentiam, sed mediocrem sufficere: in specie autem haec quaedam.

Observandum 1mo nullum peccatum confiteatur nisi certum et indubitatum omissis omnibus dubiis, modo generatim doleat de suis peccatis.

2do antiqua peccata non repetat, quamvis non meminerit se confessum: quia non meminisse non est rationabilis causa dubitandi, cum non omnium factorum meminerimus, adeoque nulla lex est confessionis, non memini, quod non feci.

Hinc S. Thom. 3. p. q. 83. a. 5. ad 5. ait nos eorum non meminisse, quae non reflexe attendimus, dum ageremus: nisi postea se [illegible] periculo, tum quia dubium in conscientia scrupulosi apud alios [illegible] moralis certitudo: tum quia, esto, aliqua confessio non fuisset, non teneretur cum tanto suo damno et periculo [illegible] errandi in tali anxietate eiusdem confessionis integritatem procurare cum haec [illegible] inter [illegible] difficultates [illegible].

3tio non instituat confessionem generalem, nisi speciali lege teneatur, quia scrupulosis non expedit refodere cadaver veterum peccatorum, unde novi vermes scaturiant.

4to. deligat sibi confessarium non rigidum et severum, sed benignum et resolutum, et satis doctum: si non scrupulosum confessarium scrupulosum poenitentem habeat, caecus caeco ducatum praebeat, et ambo in foveam cadunt Matth. 15.

Quaeritur 5to. Quae sint remedia generalia contra scrupulos.

R. tria praecipua media contra anxietates scrupulosae, orationem, contemptum scrupulorum, & humilem obedientiam praeter alia quae hactenus dicta sunt, & apud AA. invenire est.

Quaeritur 2do unde dignosci possit scrupulus? solent n. scrupulosi, cum jubentur scrupulos contemnere, bonae conscientiae obtendere quaestionem, se quidem facile contempturos, si nossent esse scrupulos, &c.

R. facile cognosci posse scrupulum ex tribus indiciis.

1mo: ex ipsa irrationabilitate formidinis; si nempe quis secum interroget, quae sit hujus anxietatis causa, & nullum reperiat prudens argumentum, constat esse scrupulum; siquidem haec est definitio scrupuli, irrationabilis metus peccati &c. Est autem triplex irrationabilitas. 1ma cum prorsus ratione est destituta; ut si q. dubitet, an satis fecerit praecepto [illegible] missae, valde breviter audito, cujus nulla est ratio, cum [illegible] sciebat illam [illegible] fuisse. 2da cum quidem aliqua ratio [illegible], sed se offerat, sed tam levis, ut hominis prudentis assensum non mereatur; ut si timeas frangere jejunium, comedendo e vasis, ubi pridie carnes coctae fuerunt, ne forte aliquid pinguedinis haeserit in [illegible] metallis, cum tempus tantum minutum non attendat.

3tia si ratio per se spectata, sit probabilis, sed comparatione contrariarum rationum longe praeponderantium, amittat omnem probabilitatem; v. g. dubitas, an recitaveris vesperas, quia in breviario nullum signum appareat, quod est sufficiens ratio dubitandi; sed in contrarium occurrunt multo graviores, nimirum semper certa hora dicere consuevisti, & illa hora nihil factum meministi; imo occurrit memoria alicujus verisimilis recitati, & alias quando non dixeras, certo sciebas te non dixisse, &c. Ita jure pro scrupulo habes & contemnis.

Alterum indicium est habitualis scrupulositas: non quod sit se esse scrupulosum, hoc ipso, quia nescit an sit scrupulus, habet rationabilem rationem judicandi esse scrupulum, ut Bonacina docet tom. 2 disp. 4 q. 4 p. 4 no. 1 & 3.

Item [illegible] scrupuli [illegible] confessarij [illegible] viri docti [illegible] iudicandis [illegible] [illegible] aequi[illegible] Bonacina loco citato. [illegible] de iis, [illegible] tractat a q. vigesima 1ma usque ad q. septuagesimam 1mam.

Quaestio ultima

De iis, quae sanctus Thomas tractat â quaes,, tione vigesima 1ma, usque ad quaestionem septuagesimam primam.

Hanc Qstionem si intelligere cupis opus tibi erunt Qstiones in titulo supra annotatae; nam sunt merae quasi citationes ubi ea sunt invenire apud sanctum Thomam, in nostro cursu, e quo istae tres distinctiones sunt dictatae.

Distinctionem hanc absolvimus
decimo 3tio mensis Decembris
Anno reparatae salutis
millesimo sexcentesimo
nonagesimo septimo
favente & adjuvante
DEO.
In monasterio S. Ettonis apud S. Landelinum
Ordinis Sanctissimi Patris & Patriarchae
BENEDICTI.

FINIS CORONAT
OPUS

G.B. [illegible] KARLSRUHE